3.

DEO CLEMENTER BENEDICENTE,

AMPLISSIMA FACULTATE MEDICA AUCTORITATEM ET CONSENSUM BENEVOLENTISSIME CONFERENTE,

HEMICRANIAM,

SUB PATROCINIO

Viri Nobilis, Amplissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi

DN. MICHAELIS SENNERTI,

Med. D. atq; P.P. Celeberrimi,


Domini Patroni, Præceptoris ac Promotoris Colendissimi,

Summos in Arte Medica Honores conseqvendi Licentiam ambiturus,

Publicæ Philiatrorum Disqvisitioni

a. d. 12. Junii Loco Horisq; ante & pomeridianis Consvetis submittit,

HENRICUS VOLLGNAD, VRATISL.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

A. O. R. cIↃ IↃc. LXII.

VIRIS

Nobilissimis, Strenuo, Consultissimo, Amplissimis, Excellentissimis atq; Experientissimis

Dn. ANDREÆ ASSIG, J. U. D.

Inclutissimæ Reip. Vratislaviensis Syndico multò Gravissimo atq; Benemeritissimo,

Dn. JOACHIMO ELSNER, Ph. & Med. D.

Ejusdem Laudatissimæ Reip. Patriæ Physico & Practico longè Celebratissimo,

Dn. CHRISTOPHORO AUSFELD,

PH. ET MED. D.

Physico Saxo-Altenburgico, atq; Chymiatro ob singularem Prudentiam Felicissimo,

Dominis, Patronis, atq; Fautoribus Observandissimis,

Illis Affinibus Colendissimis Honoratissimisq; Huic Præceptori ætatèm Parentis vicem Devenerandissimo,

nec non

VIRO

Spectatissimo atq; Integerrimo

Dn. PHILIPPO VOLLGNAD,

Pharmacapœo Vratislaviensi Industriosissimo atq; Philochymico Solertissimo,

Fratri Germano Unico,

Contestandi Animi

Submissi, Grati, Pii, Amantis,

Academicum hoc Specimen

Dicat, Dedicat Offert,

AUTOR.



IN NOMINE JESU!

PRÆLOQVIUM.

H*Emicraniæ, Affectus illius acerbissimè, sæpeq; satis pertinaciter Capitis Regiam exercentis atq; vexantis, in Naturam, Curationemq; Methodo antiqvitus receptâ, dum inqvisituri sumus, tribus, qvod dicitur, verbis Lectorem Benevolum de instituto nostro præmonere operæ pretium ducimus: in præsenti nimirum nos Symptomatis, qvod modo nominabamus, Pertractationem hac ratione suscepturos, ut illud qvod Primario affectu, sive per Essentiam, Capiti tristissimas facere solet molestias, tanqvam Archetypum reliqvorum per Consensum, potissimum dispiciamus. Etenim Hemicraniæ species reliqvæ omnes ab illa Primaria, qvâ Causam qvidem proximam & ipsam doloris mitigationem ne latum qvidem ungvem discedunt; nisi qvod, cum à Causis remotioribus, dolorem foventibus, atq; ab aliis corporis partibus Capiti subministratis dependeant, vera & methodica illarum eradicatio unicè in morborum, Partem mittentem, sive primario affectam, infestantium Curatione consistat. Unde si singularum Hemicraniarum singulæ curationes hîc adjiciendæ fuissent, ferè omnium confluxus morborum describendus in nos redundasset; Cui negotio ritè expediendo, vix integrum volumen, nedum pauciores hæ pagellæ, ut sufficerent oppido verendū*

fuit

fuit. Qvare in præsenti, Lectore Benevolo ad Practicorum remisso scripta, Ipsius Favorem ac placidum judicium perofficiosè exorantes, ante omnia vero Divini Numinis opem, Clementissimumq; adnutum devotissima solicitantes prece, sine ulteriori præfationis ambitu, ad id, qvod nobis expedire ab initio proposuimus, accingimur.

THESIS I.

QVanqvam à Nominis Explicatione communiter nec incongruè omnem discursum exordiri consvetum est, hoc loco tamen Hemicraniæ Grammaticam istam resolutionem ac definitionem ab ipso statim limine removere placet, cum vocis significatus, solummodo Capitis aut Cranii affectionem dolorosam insinuans, per se satis in aprico, minimeq; intricatus sit.

TH. II.

Ex succo itaq; hoc vocis cortice rejecto, qvid meditullii intus lateat, plenius mox demonstraturi, Affectum ipsum Definimus, qvod sit, *Partium Membranosarum in alterutro latere Capitis Dolor Acutissimus & Contumax, per certa Paroxysmorum intervalla ingravescens.*

TH. III.

Generis loco ponimus *Dolorem*; in hoc enim Hemicraniæ Essentia proxime consistit: ut hinc statim pateat *illam* ad *Symptomata Actiones Animales, in specie vero Tactũ, molestissimo Excessu depravantia*, reducendam esse.

TH. IV.

Dicitur vero cum additamento *Dolor Acutus* ad differentiam aliorum dolorum, maximè vero omnium, Gravativi illius, utpote obtusioris: *Contumax* vero etiam, qvia diuturnus ac δύσλυτος esse solet.

THE-

TH. V.

Generi adducto *Subjecti* declarationem subjungimus, qvod *vel Commune* est, *Alterutrum* nempe *Capitis latus*, modo Dextrum, modo Sinistrum (sic enim Caput intercedente Sutura Sagittali, tanqvam terminali qvadam linea, solet dividi); Terminorum vero productio, intra qvam dolor percipitur, à summo Verticè ad Tempus, dehinc magis Faciem versus, qvam Posticam partem excurrit: *vel Proprium, Membranosæ* videlicet *Capitis partes*, tam Internæ qvam Externæ, Meninges, inqvam, Pia & Dura, Pericranium atq; Cutis.

TH. VI.

Circa hoc punctum tale nobis dubium proponi possit; *qvi fiat qvod alterutrum saltim Capitis latus tam acerbè in Hemicrania excrucietur, altero salvo*, cum modo dictæ tamen partes Membranosæ, continuo utrumq; latus ductu circumdent?

TH. VII.

Respondet præter alios, *Zacutus Lusitanus t.1. Prax. c.3.* auctoritate Galeni præmunitus, fieri id ob *Sagittalem suturam*, qvandoqvidem hæc per longitudinem Capitis ducatur, utramq; illius partem distingvat, & subtus in interna Cranii parte incumbentem sibi habeat protensam Lineam, medium Cerebrum dividentem.

TH. VIII.

Ast hæc Zacuti responsio minus firmis niti rationibus videtur. Qvis enim est, qvi *Suturam Sagittalem* ultra verticem non excurrere animadvertens, nec *eandem* totum Caput in duas partes dividere posse, facile non perspiciat? ut hinc eadem opera statim liqveat, neq; proinde Suturam ab opposita parte posse dolorem arcere, cum ipsi eò dilabendi, ossa frontis & occipitis (veluti qvæ Sagittalis non perreptat) satis amplum concedant spatium.

TH. IX.

Deinde qvod *Lineam Cerebrum dividentem* attinet, si fortè Zacutus per eam *Fissuram* Cerebri intelligit; neq; haec tam firmum interstitium, per qvod dolor se penetrare non valeat, constituere poterit; cum tota die experiamur, etiam conterminas partes in nostro corpore, sibimet mutuas læsiones sine negotio communicare. Huc refer, qvod eadem illa Fissura saltim ad medietatem cerebrum intersecat, minimè vero ad profunditatem Basis hiat; unde dolori nihilominus per substantiam Basis cerebri ex uno in alterum latus facilis daretur transitus.

TH. X.

Insuper prolatas Zacuti rationes hoc qvoq; nomine absonas esse apparet, qvando Ipsemet non *Osseam Cranii*, nec in *hujus* cavitate conclusam molliorem *Cerebri substantiam* Subjectum Doloris Hemicranici esse admittit, sed *Membranas* Internas æqvè ac Externas, qvæ tamen totum capitis orbem continua productione circumdant, nobiscum statuit.

TH. XI.

Qvod si deniq; Zacutus allegato loco per *Protensam lineam Cerebrum dividentem* potius *Processum Falciformem*, aut ejus *Lineam superficialem* qvâ dura mater per longitudinem Cranio firmissimè adalligatur intellexerit; ne sic qvidem obstaculum, qvod dolorem in una parte capitis hærentem, ab altera prohibere valeat, cognoscimus.

TH. XII.

Constat ergo ex his, qvæ modo attulimus, aliam Doloris Hemicranici inqvirendam esse causam, qva indagatâ si Qvæstionem oblatam qveamus solvere mox videbimus.

TH. XIII.

Existimamus autem duplicem hic posse allegari causam; nempe I. *Peculiarem* in eo Capitis latere, qvod

Hemi-

Hemicrania invadit, *Constitutionem*, ob qvam illud infirmioris virtutis est, ad Sangvinis purgamentum una cum reliqvâ laudabili massâ advectum, sive per insensibilem transspirationem, sive per nares palatumve expellendum, ut hinc persvasu haut absonum sit, dictam istiusmodi saburram in capite restitantem, etiam levissima aliqva, & externa accedente causâ, talem dispositionem sortiri posse, ut Corruptione aut fermentatione factâ, alienam & Membranoso generi sive Caliditate, sive Flatulentiâ, sive Acredine & Mordacitate, sive alio deniq; qvocunq; modo infestam, de facili induere qvalitatem qveat. de qvibus inferius plura.

TH. XIV.

Largimur qvoq; faciles, Sangvinem anteqvam Capiti subministretur, heterogenei qvid, posse in sua massa fovisse qvod dictum factum atq; in membranis distribuitur, iisdem se maximè infensum præstat; Veruntamen idcirco Sangvini propriè culpam imputari non posse existimamus, aliàs in reliqvis corporis partibus membranâ præditis, præprimis vero in opposito capitis latere, similem doloris effectum necessario produceret. Potius itaq; in *Partis constitutionem*, localis istiusmodi doloris, de qva Zacutus disqvirebat, causam iterum rejicimus.

TH. XV.

II. Altera doloris nostri Hemicranici causa à *Vasorum* in capite *distributione* dependere videtur. Claret enim ex diligentissimis Dissectionibus atq; Observantionibus Clarissimorum hodie-Anatomicorum, inter qvos merito suo *Celeberrimus Highmorus* eminet, utrumq; Capitis latus peculiaria sua Vasa (Arterias dico & Venas) vix qvicqvam cum alterius lateris ductibus commercii habentia, pro advehendo & reducendo sangvine à providentissima Natura obtinuisse, qvorum si forte aliqvod obstruatur, molestiâ hinc excitatâ in ea solum parte, cujus Vas est, animadverti solet.

Th.

TH. XVI.

Sed miſſa hac qvæſtione, à Subjecti declaratione ad *Cauſarum* enarrationem progredimur. Ubi *Cauſam Hemicraniæ Immediatam ſeu Proximam*, *Continui Solutionem* ponimus. Hujus vero cum Conſideratio, hoc qvidem in Affectu exuſu Artis propriè non ſit, hoc eſt, per ſe nullum Indicans utile, niſi ſaltim ratione aliarum atq; remotiorum Continuitatem ſolventium Cauſarum, exhibeat, ad *iſtarum* protinus indagationem nos convertimus.

TH. XVII.

Comprehenduntur autem indigitatæ *Cauſæ* Remotiores ſub duplici claſſe, *Externarum* ſcilicet atq; *Internarum*.

TH. XIII.

Externas qvod concernit, plurimæ illarum qvidem Procatarcticæ ac mere Occaſionales ſunt, hoc eſt, per Accidens ſaltim iſthunc Affectum producere, vel ab aliis productum, ſed latentem adhuc excitare aptæ. Ipſarum potiſſimas in præſenti juxta claſſes Aſſumtorum, Geſtorum, Excretorum & Retentorum, ac deniq; Forinſecus Accidentium enumerabimus.

TH. XIX.

Inter *Aſſumta* præ cæteris ſe ſiſtunt *Alimenta*, *tum*, ſimpliciter talia, *tum* Medicamentoſa ſimul, *ut &* ipſa Medicamenta, ſive ſolidioris ſive liqvidioris ſint ſubſtantiæ; puta, qvæ inſigniter ſunt Calida, Flatulenta, Acria, facile Corruptibilia & Nidoroſa, aut Toto genere Capiti adverſari dicuntur. Huc pariter Ingurgitatio ac Repletio pertinet, qvando nimia mole, aliàs profuturorum, ingeſtâ, Naturæ vis infertur.

TH. XX.

Ad eorum qvæ *Geruntur* claſſem pertinent Commotiones qvæcunq; Animi vehementiores ac ſubitaneæ, ira, Mœror, Perterrefactio, &c. qvibus adde Lucubrationes continuas & in multam noctem, Meditatio-

nem

nem admodum intentam ac profundam, Exercitia item Corporis, v.g. Saltationes, Curſus, Certamina gladiatoria aut Athletica freqventer nimis ſuſcepta, moxvè à cibo inita; deniq; Vitam Sedentariam &c.

TH. XXI.

Ad *Excreta & Retenta* referendum conſvetarum evacuationum prætermiſſionem, v.c. Venæ ſectionis & Cucurbitularum, Suppreſſam hæmorrhagiam narium, earumve ab obſtructione tenacis mucoris ſiccitatem, itemq; Veneris uſum nimium, &c.

TH. XXII.

Qvæ *Extrinſecus adveniunt*, ſunt e.g. Aer nebuloſus & craſſus, ejus Æſtiva præfervida aut Brumalis egelida conſtitutio; item diutina & aperto capite ſub radiis ſolaribus, præcipuè meridianis, aut noctu ſub Lunari lumine commoratio; pariter Balneorum freqventior ac immoderatior uſus, eorumq; mox à cibo ingreſſus. His adde Suffumigia & odores qvoscunq; acriter olfactum ferientes, aut valde confertim oblatos, ut & fumos Carbonum & Mineralium Merculiales, Sulphureos, Arſenicales, & id genus alios. Huc refer inflictum olim in Capite vulnus, Contuſionem aut Caſum gravem, vehementem Commotionem à tonitru, aut à tormenti in vicinia exploſione perpeſſam; ut & intentum ac irremiſſum præſplendidi alicujus corporis, ut Solis, Ignis &c. intuitum; deniq; conclavis recenter gypſo aut calce obducti inhabitationem, atq; Juglandis, Ficus, Oleandrive obumbrationem.

TH. XXIII.

Propinqviorer,

Externis ſuccedunt *Internæ Cauſæ*, atq; I. *Humorum* ſive ſ. n. ſive p. n. in Corpore noſtro exiſtentium *vitia*, qvæ Plethoræ atq; Cacochymiæ nomine venire ſolent.

TH. XXIV.

Uterq; Humor, membranoſis Capitis partibus hîc moleſtiam facere poteſt, *tum Copiâ ſ. Redundantiâ*, & qvidem

dem Comprimendo, Distendendo, vel Obstruendo; *tum Motu*, Ebulliendo seu Fermentando; *tum Qvalitate*, ob excessum caloris, vel ob contractum Acorem, Salsedinem, Tenuitatem, Viscididatem, Flatulentiam &c.

TH. XXV.

Qvod *Cacochymiam* in specie concernit, *Bilem Melancholiam* & *Pituitam*, imprimis *Acidam* illam aut *Salinam* plurimas & hîc loci Capiti molestias facere, vero minimè repugnat.

TH. XXVI.

Ubi tamen per dictam *Bilem*, *Melancholiam* ac *Pituitam* juxta receptam communiter sententiam, non intelliguntur diversi qvidam à sangvinea Massa humores, inq; peculiari forsan, ac sangvinis officinæ contradistincto hospitantes foco, atq; cruori postea per certas temporum periodos confusi: Sed, partes in ipsa Massa sangvinea, Biliosæ Melancholicæ aut Pituitosæ, sive (ut ad mentem qvorundam hodie-Medicorum loqvi liceat) ipsa *inqvinamenta*, sub sangvinis Massâ latentia, nunc Calidiora, nunc Frigidiora, nunc Acria, nunc Salsa, nunc Amara, nunc Austera, nunc nimis Lenta aut Diluta, pro variâ dispositione & qvalitate Succi Nutritii, sive Chyli; cujus partes prorsus heterogeneæ, qvemadmodum in qvibusdam Subjectis vel perfectè vel imperfectè, tardè vel celeriter, & sic porrò, pro diverso circumstantiarum concursu, diversimodè etiam tàm in Corde, qvàm in Arteriis, ac Venis fermentare & digeri, particulisq; Massæ sangvineæ diversas habitudinis suæ Conditiones & Gradus activitatis (videlicet Cruditatis, Maturationis & Defectionis) imprimere solent; ita necessario ferè hinc resultabit, ut proin ipse etiam sangvis qvoad qvalitates suas reddatur vel Calidior & Siccior, sive Sulfureus & salinus, qvem aliàs Biliosum appellant; vel Frigidior & Humidior, sive Crudus & Aqvosus, qvem Pituitosum dicunt; sive Frigi-

dior

dior & Siccior, seu Terrestior, Lixivialis veluti & Austerus, qvem Melancholicum vocant. Confer huc Thomæ Willis fusius hæc tractantis aurei Tractatus d. Febr. c. 1. p. 4. & seqq. imò & c. 2.

TH. XXVII.

Ut itaq; his præsuppositis, Sangvis ubicunq; in corpore fertur, & per qvascunq; partes ordinariè fluit atq; refluit, variis qvidem istiusmodi mutationibus ratione Heterogenearum, ex qvibus constituitur, partium obnoxius est; ad ipsas tamen has mutationes sive accelerandas sive sensibus manifestandas, insigniter præterea conspirare dicunt varias accidentes alias circumstantias, ad qvas etiam *Dispositio Partium* non immeritò transfertur: *ita* considerando, qvod caput nostrum variis expositum est injuriis, variis morbis & morborum causis, qvæ notabilis *Infirmitas* privatæ *Nutritionis*, ac aliarum *Actionum læsio* seqvi solet, existimare licet, qvod sangvis *non solum* Biliosus, aut Melancholicus (talis videlicet jam factus) ex necessitate Circulationis ad caput ferri, & sicubi hoc imbecillum sit, facilè *Hemicraniam* in eo suscitare possit; *sed & laudabilis* alioqvi Sangvis, alienum tamen cum tempore habitum & excrementitias, qvas communiter vocant, qvalitates in ipso induere Capite qvandoq; qveat: nempè qvatenus ob modo dictam Capitis Læsionem sangvis ibidem rectè non digeritur, & hinc Effervescit ac Turgescit, vel excrementa post nutritionem privatam residua minus debitè egeruntur, verum in *Membranarum Spatiis* & occultis earum *interstitiis* plusqvàm par est, sive paulatim, sive confertim colliguntur & cumulantur, donec Fibrillæ Membranarum distendantur divellanturq;, aut simul qvalitatibus etiam excessivis afficiantur, atq; sic Tristis & Acutissima perceptio Tactus introducatur. Plura ad rei hujus declarationem spectantia vid. in modo allegato Tract. Willis. d. Febr. l. supra c. & alibi passim.

TH. XXVIII.

11. Qvod *Remotiorem Causam Internam* attinet, illam in proximè præcedente Thesi qvidem jam attigimus, hic verò speciatim ejus mentionem repetendam esse censemus; Dicimus autem eam esse *Capitis Constitutionem vitiatam*, videlicet dependentem *vel à Temperamento*, tam Nativo qvam Adscititio; qvo & Sexus, Ætas atq; Vitæ genus pertinent: *vel à Conformatione*, cujus ratione Cranium Compressiùs & Acuminatum (qvale comprimis doloribus obnoxium esse refert Gal. 6. Epid. Com. 1. Aph. 3.) vel Depressius esse potest, & propterea Meatus angustiores paucioresvé, qvam par erat, obtinere; undè commodo liberoq; sangvinis motui aut sufficiens spatium denegatur, aut sufflamen aliud injicitur: *vel à morbo* alio prægresso, v.c. Confirmatâ aliqvâ Intemperie, aut diuturnâ ac inveteratâ præprimis Affectione Pericranii & Meningum; qvibus addas licet Constipationem sive Constrictionem Pororum cutis, undè pariter variè sangvis turbari potest. Atq; has ipsas ab causas ipsa *Facultas* qvoq; *Concoctrix* & *Expultrix* læsa atq; debilitata, sangvinem pro alimento Capitis partium nec rectè concoqvit, nec recrementa, sive crassiora, sive vaporosa aut flatuosa, sufficienter expellit.

TH. XXIX.

Visis hactenus Causis Hemicraniæ, qvæ ipsum Doloris Effectum producere aptæ natæ sunt; Superest ut investigemus qvoq; *rationem* & *Modum*, *cur* non solum indifferenter *per varia intervalla Dolor exacerbetur*, sed *per certas* etiam *& exactissimas Accessiones*, statâ horâ, immò momento, non raro *redeat?*

TH. XXX.

Prius qvæsitum, cur scilicet per intervalla Dolor in Hemicrania redeat? qvod concernit; in eo tantum non omnium Practicorum consensum nobis promittimus,

pro-

provenire id *sive* ab imbecillitate, *sive* à Materiâ in Capite post primum insultum relictâ; *qvæ*, Materia inprimis, ob imbecillitatem *illius* non potuit omnimodè expelli, qvæq; instar fermenti cujusdam est, sangvinem affluentē, etiamsi bonus is foret, paulatim corrumpentis, donec sufficiente qvantitate cumulatâ Paroxysmus novus producatur, qvi tam diù affligere perseverat, qvoadusq; qvicqvid molestiam intulit superatum & excussum sit; cum vero non omne id, qvod dolorem concitabat, simul superetur, sed rursus reliqviæ qvædam remaneant, novâ hinc doloris materiâ progerminat, posteaq; novus iterum Paroxysmus introducitur. Atq; hac ratione cedunt redeuntq; paroxysmi, usq; dum causa omnis exstirpata, partiumq; affectarum infirmitas penitùs sublata fuerit. Videantur ad hunc modum de Paroxysmis, licet non Hemicranicis, sed Febrilib9 saltim, pleniùs disserentes *Medicorum Coryphæus Dn. D. Sennert. in Tr. d. Febr. l. 2. c. 17.* nec non *Ingeniosissimus Thom. Willis in Tr. d. Febr. c. 3.*

TH. XXXI.

Posteriores qvæsiti, certi, inqvam, illius & ad horologii velut indicinam incidentis recursus Accessionum, qvæ plerumq; singulis diebus solent redire, abstrusior omninò indagatio est, ut meritissimò & hîc loci cum modo laudato *Magno Sennerto l.m.c.* confiteri necesse habeamus, hanc qvæstionem faciliùs moveri posse, qvàm ut ob intricatissimas difficultates solvi qveat. Nam *licet* ad *Humorum* decantatum illum *peculiarem motum*, qvo *vel certis diebus*, v.c. Pituita singulis, Bilis ternis &c. vel *certis in diehoris*, v. g. Bilis meridianis, Melancholia vesperinis, Pituita nocturnis moveri dicuntur, recurras; *licet* positûs cœli & influxum siderum solicites; *licet* etiam succi Nutritii & Sangvinis Dyscrasias varias, proindeqve eorum ad citius aut tardiùs fermentandum aptitudines (qvomodo Febrilium paroxymorum inciden-

 tias

tias non ineleganter paulo ante laudatus Willis loc.c. descripsisse videtur) alleges, ad nostri tamen Affectûs motū declarandum illa haut sufficere poterunt, cum in Hemicrania Paroxysmi pro diversitate suarum causarum, non æqvè diversas Incidentias, atq; vel Febres, observent. Sed has tricas ut feliciorum acumini ingeniorū explicandas relinqvere oportet, ita conjicere licebit insignem aliqvam causam Circulationi Sangvinis adscribendam esse, licet ipsius rei demonstratio ad oculum dari neqveat, cum determinatum illud tempus, qvo sangvis circulum suum, ex Corde dilabendo & ad idem redeundo, absolvit, adeò exactè à nemine hactenus exploratum sit; hoc vero dato, Hemicraniæ qvoq; stato tempore redeuntis causam dubio procul manifestiorem fore, nobis persvademus. Deinde nec motus Lunæ hinc excludendus, qvæ præsertim variè seundum distinctas suas phases, qvadraturas, conjunctiones & adspectûs alterando Capiti mirè efficax habetur.

TH. XXXII.

Qvod vero Paroxysmorum illorum, qvi singulis annis bis vel ter nonnullo observato ordine & certo temporis intervallo, redire solent, Causam attinet, illam minùs obscuram declaratu esse putamus. Qvemadmodum enim isti Paroxysmi potius reciprocantes videntur Hemicraniæ, vel distincta numero, ut sic dicam, Hemicraniarum Individua, qvam ordinatæ Periodi & Exacerbationes unius alicujus, ejusq; diuturnioris Hemicraniæ; Sic non tam ab Interna causâ moveri qvam abExternâ aliqvâ, & Errore in regimine victus commisso, dependere probabile videtur; Unde & circa mutationes anni temporum & plerumq; sub Veris autAuctumni initia, aut etiam circa Solstitia vel Æqvinoctia familiariùs solent evenire.

TH. XXXIII.

A Causis ad *Differentias* porro recto pergimus tramite, qvarum qvædam suggerit, *tum Pars affecta* alterutrum

tum nempe Capitis Latus; unde Hemicrania non solum à doloribus alias corporis partes, sed etiam ipsum Caput (qvalis Cephalæa comprimis est.) infestantibus distingvitur: *tum Species Doloris*, qvi in Hemicrania Acutissimus est; aliàs vero Gravativus, Convulsivus, Profundus, aut Terebrans &c. contingere potest, qvi postremus in Clavo speciatim observari dicitur. *tum Motus & Pertinacia*, qvoniam dolor Hemicranicus per certos ac statos Paroxysmos exacerbatur, atq; haut facilè cedit, sicq; à dolore Critico differt: *tum Modus Inhæsionis*; alia enim Hemicrania est per Essentiam sive Idiopathiam, qvæ nostræ in præsenti considerationis est, alia per Sympathiam & Consensum excitata, qvalis à nullis non inferiorum Cavitatum partibus, puta, à ventriculo, Epate, Liene, Mesenterio, Utero &c. Capiti communicari solet, cujusmodi exempla in Observationibus Practicorum hinc inde reperire est, singulas autem hujus farinæ historias evolutas allegare inpræsenti consultò prætermittimus.

TH. XXXIV.

Diximus modo dari *Hemicraniam per Essentiam* & *per Consensum*; qvam Differentiam qvantumvis non paucos fortè Practicorum vix admissuros præsumamus, staturos nempe à partibus *Acutissimi Fernelii, in Pathologia suâ l.5.c.1.* expressim scribentis; *Cephalæa semper proprio & primario Capitis fit affectu, Hemicrania â Præcordiorum subditarumq; partium Sympathia:* Veruntamen rationem hujus pronunciati haut penetrantes, assertæ modo opinionis nostræ absurditatem nondum deprehendimus. Cur enim Hemicrania non æqvè atq; vel Cephalæa à propria in Capite præexistente causa, possit produci? Cur Hemicrania ab ardore Solis, à fumo Carbonum, à vehementioris fragoris concussione, aut suppressâ Sangvinis per nares evacuatione, & hujus generis aliis excitata causis non possit Essentialis dici? Neq; tamen hac in re Magnorum Virorum

rorum

rorum Experientiis, fortasse freqventius Hemicranias per Consensum qvam per Essentiam observantibus, omnino refragabimur, modo Experientiæ aut rectæ Rationi nec nostram assertionem contrariari obtineamus.

TH. XXXV.

Porro *Differentiam* qvamdam *Subjectum* infert, cujus ratione *Hemicrania alia* est *Interna*, qvando dolor Meninges, *alia Externa* qvando Cutim cum Substrato Pericranio occupat: qvibus si *Mixtam*, qvando Internæ simul cum Externis membranis læsæ sunt, addideris, rei ipsi, opinamur, nullam vim intuleris. Qvin immo veritati vel maximè consentaneum videtur, læso Pericranio etiam Meninges, inprimis vero Duram, in Consensum trahi posse, & econtra; cum non solum Pericranium & Menings ramusculos Arteriarum & Venarum per Cranii Suturas, & alia qvædam Foraminula sibi communicent, sed eadem qvoq; exqvisitissimi Sensus Membrana Cranium obducens, Nerveas qvasdam & circa Temporales Musculos freqventiores fibras à crassa Meninge obtineat, unde & Pericranium originem suam DuræMatri debere Anatomici crediderunt; ut hinc pateat, qvàm, levior licet, alterutrius Membranæ læsio, alterutri sine negotio cummunicari possit. (*Vid. Highm. l 3. p. 1. c. 2. p. 202. Vesal. in Epit. Anat. c. 5. & ad hunc locum Not. Pav. §. 11. 12.*) Qvando vero Hemicraniam Internas partes non subire, sed foris temporales saltim musculos, humoribus biliosis inibi irruentibus, obsidere *Clarissimus Highmorus l. 3. c. 5. p. 205.* existimat, id Ratione & Exemplis potius, qvam solùm dicto ut demonstrasset, desideramus.

TH. XXXVI.

Rursus alias Hemicraniæ Differentias exhibent, *tum Gradus & Symptomata*, hinc alia Mitior, alia Vehementior; *tum Duratio*, cujus respectu *alia Brevis* est, qvæ paucis absolvitur Paroxysmis; *alia Diuturna* & Contumax, in multos

tos

tos Menses immo Annos decursum suum protelat; qvale Exemplum ægroti Hemicraniam in *Tertium annum* passi *Simeon Jacoz, in observat. River. Communicatis, obs. 12.* refert. immo magis recensitu dignum, qvod *Petrus Paceqvus* se *qvindecim annos* his acerbitatibus fuisse excruciatum, contestatur *in Observ. suis, Eidem modo laudato Riverio Commun. Obs.* 37. Pariter *Helmontius*, Anum lotricem *Sedecim annis*, aut circiter, Hemicraniâ vexatam *se* vidisse affirmat *in Butlero p. 168.* solet autem *diuturna* hæc Hemicrania longiora qvandoq; remissionum intervalla ægrotis concedere, ita ut sæpe per mensem unum alterumvé inducias faciat, postea veluti recidivans reditura; tale exemplum supra allegata *Jacozii Observatio duodecima* Suppeditat, ubi refertur, Virum qvinqvagenarium Hemicraniâ singulis annis ter aut qvater redeunte, in dextro latere adeo vexatum fuisse, ut desperaturo sæpius se exhibuerit similem: deniq; *Eventus*, unde alia *Salubris*, alia *lethalis* certè *Periculosa* pronunciatur.

TH. XXXVII.

Ad *Signa* dehinc *Diagnostica* ordo nos devolvit, qvorum licet Indagatio supervacanea fortasse videri possit; cum Affectum hunc ipsæ ægrotantium qverimoniæ satis clarè proclament; qvoniam vero *illorum* beneficio & ad Partis læsæ, Internanè ea sit, an vero Externâ? & ad Caussarum, & Temporis Instantis Paroxysmi cognitionem deducimur, neqvaqvam *illarum* evolutionem prætermittendam censuimus.

TH. XXXVIII.

Partem *Externam* vel *Internam dolere*, potissimum compresso manu capite, facillimè dignosci, Practicorum veluti unanimi consensu asseritur; ita, ut si ad contactum dolor exacerbetur, Extrinsecus eum hærere, si vero minus id accidat, Intestinum eundem esse, confidenter judicare liceat. Aliàs *Externi doloris signum*, Medico diligenter observandum, *pulsantes Arterias* esse, existimat *Johannes Rhodius Obs. 76.*

Th.

TH. XXXIX.

Cæterum qvando *Internam partem* vexari, ex dolore ad radicem oculi pertingente, arguere nonnulli cum Galeno (2. sc. loc. c. 2. Citante Zacuto Lusit. Prax. Hist. l.2. p. 145. c. 3.) conantur, Signum istud minus certum videri potest; licet enim (siqvidem fidem Anatomicis damus) negari non possit, & Tunicam oculi Uveam à Tenui Meninge, & Corneam pariter à Dura Matre ortum suum ducere, cumq; harum membranarum productione vasa qvoq; sangvifera propagari, per qvæ causa dolorifica pariter oculo facile communicari qveat; Veruntamen cum & Pericranium eò protendatur, nec solum concavum oculi circum circa obducat, sed & Adnatæ oculi propaginem sui communicet, insuper non paucis ibidem venulis sit instructa, cur potius affectæ Meningi, qvam Pericranio, Oculus condolere debeat, haut liqvet.

TH. XL.

Causarum signa qvod Concernit, eorum *qvædam* ex relatione Ægri & Adstantium, *qvædam* à proprietate doloris, *qvædam* à Symptomatibus propriis & ordine Accessionum, *qvædam* ex Pulsu & Urina, *qvædam* ex Juvantibus & Nocentibus petenda esse, hîc loci vel indicasse sufficere poterit.

TH. XLI.

Instantem demum *Accessionem* patefacient, præ cæteris Pulsus Temporum commotior, Vertiginosa Capitis circumactio, Sibilus Aurium, Oculorum ac Faciei rubor, Narium Siccitas, Lassitudo & inqvietudo totius Corporis Urinæ crudioris emissio &c.

TH. XLII.

Prognosis postremo dispicienda restat, qvæ tria Investiganda proponit, Eventum nempe Affectus ipsum, ac Tempus & Modum Eventus.

TH. XLIII.

Eventus Hemicraniæ ut per se qvidem Lethalis esse

non

non solet; *Galeno* enim si fidem damus, *ob vehementem Capitis dolorem nemo unqvam deliqvio comprehensus, mortuus est;* qvemadmodum *l.2.sec.loc.c.1.* scribit: Verum ex Accidenti, ob continuas Vigilias & aliorum Symptomatum congeriem, vehementiam & perseverantiam, conjunctâ inprimis enormi virium prostratione, posse aliqvem extremum vitæ periculum, immò ipsam mortem subire, assertu haud erit difficile: cum (ipso in hanc abeunte sententiam *Hippocrate in Pranot. Coac.166.176, & 177.*) liqveat *qvod qvi Capitis Dolore tentantur cum tinnitu Aurium, tenebricosâ Vertigine, Vocis tarditate, manuum stupore, tenui exsudatione cum interceptione alvi, nigarum densarumq; urinarum emissione, aut nigrorum vomitu rejectione, iis Convulsiones, Epilepsiam & Siderationem imminere.* Similiter periculi formidinem facient, Oblivio subitanea, Actiones & dicta minùs consveta, involuntariæ Lacrumæ, Oculi in parte affectâ subversio, Pulsus rarior & langvidior, Stertor, Narium perpetua siccitas &c. Cujus generis signa Surditates, Cæcitates, Deliria ac insanias qvoq; aliqvando solent portendere.

LXIV.

Econtra tanto *minor periculi metus* erit qvanto Vires ægrotantis constantiores, Mens imperturbatior, Dolorisq; & ejus Accidentium vehementia remissior apparebit: item minori in periculo versabitur æger si Affectus per longiora intervalla exacerbetur, ita ut bis vel ter in anno saltim redeat, unde restaurandis viribus Naturæ, & Medico radicem mali evellendi, oportunius spatium & occasio conceduntur. *Pariter* boni signi notam exhibebit materiæ peccantis in partes ignobiliores & extremas facta translatio. *Deniq;* optimam Evasionis spem *Hipocrates* nobis facit, qvando, *Si Caput dolenti & vehementer laboranti, pus vel aqva vel sangvis per Nares, aut Os, aut Aures effluxerit,* solutionem morbi *Aph.10. S.6.* promittit.

TH. LXV.

Tempus Eventus indicant *partim Affectus ipse*, qvi qvò magis à Constitutione anni, Temperamento & Ætate ægroti recedit, eò pertinacior futurus est: *partim Causæ*, nam Hemicrania ab Internâ causâ, eâ qvæ ab Externâ causâ; & qvæ per Idiopathiam, eâ qvæ per Sympathiam fuit excitata, diuturna magis erit: *partim Paroxysmorum* ad se mutuo facta *collatio* in ordine ad gradum seu typum, nam v. c. qvò diutius Paroxysmus affligit eo longiorem fore Hemicraniam subsumendum est; *sic &* si Statâ exactè horâ, si circa vesperam aut noctem contingat Exacerbatio, si nulla aut pauca Coctionis Signa appareant, si Motus ad statum tardior fiat, decursus qvoq; segnior sperandus erit. *Partim Temperamenti* ægroti conditio; qvæ enim Senibus, utpote frigidioris naturæ, atq; imbecillioribus aliis contingit, Hemicrania contumacior esse solet.

TH. LXVI.

Ad *Modum* deniq; *Eventus* accedimus, qvem duplicem proponimus; nempè *vel* per Subitaneam *vel* per Paulatinam mutationem, *sive* ad mortem *sive* ad Salutem tendentem.

TH. LXVII.

Subitaneam mutationem dicimus eam, qvæ Crisi in Acutis morbis solet esse similis; qvanqvam eandem & hoc loco Criticam poteramus nominare, qvoniam talismodi Hemicrania ob vehementiam suam Acutorum morborum naturam ad amussim est æmula.

TH. LXVIII.

Hujus generis *Subitanea mutatio* qvandoq; *cum Excretione* humoris aut materiæ alicujus, v.c. Sangvinis per Nares, aut sordium per Aures accidere solet; qvandoq; *citra Excretionem* aliqvam contingit, scilicet Materiæ dolorificæ in alias partes Propulsione sive Translatione: qvæ si ad partes magis ignobiles fiat, optima est; si verò ad nobiliores, infida; & demum si ad æqvè dignas remittatur, periculosa est.

Th.

TH. LXIX.

Paulatinâ mutatione ea solvitur Hemicrania, qvæ qvadragesimum diem superat; & isthæc sicuti ut plurimum periculo vacat, ita eradicatu erit tanto difficilior, qvanto hoc tempus, citra notabilem sui mutationem typi, excesserit. Valdè tamen Senibus talismodi Hemicraniam, ferè exitialem *ex Hipprocratis Aphor. 29. S. 2.* pronunciare haut dubitamus.

TH. L.

Præmissis jam iis qvæ Essentiæ & Naturæ, Causarum atq; Differentiarum Hemicraniæ declarationem pertinere visa sunt, proximum est, ut ad ejusdem *Affectus molestias profligandas* nos accingamus. Qvod ipsum ut ad votum obtineamus, ante omnia investigandum est *Media*, qvibus Symptoma hoc depelli possit. *Illa* statim insinuantur per *Indicantia*, *Urgens videlicet*, *Præservatorium & Vitale*: qvorum unumqvodq; ex triplici Penu, modo Pharmaceutico, modo Chirurgico, modo *Diætetico*, suas Auxiliorum res depromere assolet.

TH. LI.

Qvantumvis autem ex Methodi lege, Medico perito videatur incumbere, ut (pro ordine Inventionis) ab Indicantibus Præservativis medelæ intentionem suscipiat: Veruntamen, cum Medici opera omnis frustranea sit, nisi *Naturam* adjutricem habeat, *ipsius* ante omnia *Vires* Illum sub Exsecutionem Medicationis expendere oportet, *utrum* constantes adhuc aliqvomodo sint, *an vero* jam *sive oppressione sive resolutione* infractæ? ea propter in præsenti etiam Affectus nostri Curationem suscipientibus, *Indicantia Vitalia*, primo loco proseqvi placet.

TH. LII.

Diximus *Labefactari Vires Resolutione*; qvales cum sui *Restaurationem* sive Refocillationem indicent, hoc fine talia exhibere conveniet *Medicamina, qvibus Caput & Cor*

Specifica Corroborandi vis communiter tribuitur, modo ea insigni Caloris excessu non prædita, sed potius qvà primas qvalitates, temperatiora sint.

TH. LIII.

Horum ex ordine vel maximè præcipua habentur, Lapides illi qvinq; pretiosi, Lap. Bezoar, Margaritæ, ipsarum Mater, Coralia, Cranium humanum, Os triqvetrum Cranii humani, Unicornu, Cornu Rhinocerotis ac Cervi, ungula Alcis, Lap. Percarum, Oculi cancrorum; Herba Melissæ, Chamæpythios, Borraginis, Verbenæ, Stœchadis Arabicæ (qvam peculiari encomio vitam cerebri vocant); Flores Lilii convallium, Stoechadis Arabicæ, Betonicæ, Pœoniæ, Tunicæ, Primulæ Veris, Tiliæ, Violarum, Arantiorum, Calendulæ; semen Aqvilegiæ Mala Citria, Viscum Corylinũ atq; ipsum Lignum Coryli, Santala omnia, lignum Sassafras; Radices Aristolochiæ, Doronici, Scorzoneræ, Chinæ; deniq; Argentum etiam atq; Aurum.

TH. LIV.

Lapides, qvos allegavimus, *pretiosi* Saphyri, inqvam, Granati, Smaragdi, Hyacinthi & Carneoli, ut plurimum per se lævissimè in porphyrite pulverisati solent in usum vocari atq; exhiberi: aliàs etiã artificio Chymico per certas variasq; Calcinationes ac Solutiones in Magisteria, Salia, Essentias s. Tincturas, Liqvores & Olea reducuntur; nec desunt modi Sulfureas qvorundam dictorum Lapidum partes, in formâ subtilissimi pulveris à crassiori ipsorum substantiâ separandi; qvalem non inelegantem processum, *Exc. atq; Exper. Dn. D. Christophoro Außfeld, h. t. Physico Saxo-Altenburgico Ordinario, Patrono ac Præceptori meo Parentis vicem, dum vixero, colendissimo, debeo.*

TH. LV.

De præparationibus nec non *efficaciâ horum lapidum* diversa diversorum hinc inde reperias judicia. *alii* enim sunt,

ſunt, qvi ut Gemmis plurimum virtutis, ab occultâ qvalitate dependentis, in Confortando tribuunt, nimirum Auctoritate Veterum & Experientiâ ſic edocti; ita præcipuè *ipſas* ſine ullâ aliâ præmiſsâ Calcinatione aut Solutione, ſolùm in porphyrite lævigatas magnifaciunt, qvod exiſtiment in Calcinatione violentiâ ignis factâ, illas, ſi non omni, tamen plurimâ efficaciâ exſui; qvod vel exinde manifeſtum fieri arbitrantur qvod Lapides dicti calcinati Nitorem ſive Tincturam, atq; unà, Temperamento naturali alterato, proprietates Specificas amittant, id Magnetis exemplo probantes, qvi uſtus vi omni tractrice orbari creditur. Vid. Ang. Salam Aph. 43. S. 1. p. 247. *Aliis* deinde *Olea* ſive Solutiones liqvidæ non parū ſuſpectæ videntur; qvod de Menſtruis ſive liqvoribus ſolventibus plurimum participent; unde propter metum Corroſionis, qvam ventriculo præprimis inferre posſint, reformidantur. Eandem ob rationem *Solutiones* qvoq; *ſiccæ*, Salia dictæ, à multis rejiciuntur. Porro *alii Tincturas* veras ex Gemmis poſse extrahi negant; qvæ enim vulgo habentur colorem ſuum potius à Menſtruo obtinuisſe, qvàm ex ipſis Gemmis extraxisſe, & hinc fucatæ meritò æſtimantur. *Aliis Magiſteria*, ſeu pulveres præcipitati, ſiqvidem à menſtrui ſolventis particulis corroſivis rectè liberata ſint, exhiberi cum efficacia perſvaſum qvidem eſt, qvoniam verò tale Magiſterium à vulgariter Præparatis Subſtantia aut qvalitatibus nihil differre videtur, potius *his*, ut operæ & pretio parcant, qvàm *illo* uti placet. *Angelus Sala* tamen *S. 2. Aph. 29* commendat *Magiſterium* qvoddam *gemmarum*, cujus granum unum potioris futurum ſit efficaciæ, qvam ſi vulgariter Præparatorum grana centum ſumerentur.

TH. LV.

Alii mox inſurgunt qvi *Gemmarum occultam vim* noſtrum corpus *confortandi* planè negant, præcipuè his nitentes

tentes rationibus. Ajunt enim 1. *Gemmas* esse *solidissima corpora*, ex qvibus nihil qvicqvam virtutis digestione ventriculi possit elici, proinde nec possibile ut Spiritus instaurare aut progenerare qveant (*Vid Erast Epist. inter Cratonis à Scholtzio editam, 271. p. 508.*) 2. Neq; qvascunq; præparationes qvicqvam ad id conferre, cum per istas substantia Gemmarum in minutissimas qvidem particulas redigi, non verò ad communicandas virtutes suas propterea aptior reddi possit. Ut alias, qvæ pro hac sententiâ proferuntur, rationes non attingam, *Gemmas* potiùs, & qvæ ex ipsis præparantur cujuscunq; formæ medicamenta, *manifestis qvalitatibus*, & saltim ex Accidenti corpori nostro Confortando esse posse credunt; qvando nimirum id solummodo præstent, ut humorum vitiosorum acrimoniam veluti imbibant, aut alio qvovis modo humores præcipitando, ipsos à massa sangvinea segregent adq; expulsionem aptos reddant; qvo modo reliqva omnia Diaphoretica eundem effectum præstare soleant. Composita verò qvædam ex Gemmis, qvalia sunt Species Electuariorum Calidæ & Frigidæ, Confectionis de Hyacintho, itẽ pulveres alii Cordiales pretiosi usitati, qvò & referri potest Liqvor ille Gemmatus pretiosus, Magni Ducis Hetruriæ, qvod Spiritus admodum reficiant, potius aliorum admixtorum virtutibus, qvalia solent esse Ambra & Moschus, itemq; aromata &c. attribuendum esse censent. Sed ne ultra modum litigium protrahatur, illud hic præcidimus, unicuiq; liberum sentiendi arbitrium committentes, nostrum verò interea judicium suspendentes, donec propriis aliqvando observationibus aut illorum Experientias aut horum Rationes certiùs confirmare liceat.

TH. LVI.

Similis plane disceptatio de Auro & Argento, & qvæ ex his Communiter præparantur, medicamentis, inter Practicos foveri solet. Ubi pariter, qvi Veterum sectantur

tantur placita, ad occultam vim, qvâ ſcilicet corpus noſtrum Confortari dicunt, longâ Experientia confirmatam, refugiunt. Reliqvi vero *ut* ex Subſtantiis his ſolidisſimis & fixisſimis, ut ut diverſimodè ſint Calcinatæ, Solutæ, Volatiliſatæ, nullam efficaciam in corpore noſtro posſe elici, contendunt; *ſic* hujusmodi Medicinas ſœpius Menſtruis ſuis & aliis Admixtis, qvas præſtare ægrotantibus creduntur, virtutes debere, acriter defendere, & exemplo Tincturæ Lunæ, Bezoardici Solari,s & hujus farinæ aliorum, probare nituntur. Auro tamen & Argento tunc vires ſummas corp9 confortandi competituras adſtruunt, qvando in ſua Entia prima, uti loqvuntur, h.e., in formam ſ. liqvidam ſ. facile reſolubilem, & in priſtinum metalli corpus irreducibilem, reducta fuerint.

TH. LVI.

Dubii qvoq; *generis* esſe Os de Corde Cervi, ac Triqvetrum illud Cranii humani, noſtri ævi Practicis plurimis cenſentur; adeo, ut qvi illis præ Cornu Cervino, aut aliis Cranii osſibus peculiares occultasve Qvalitates velint adſcribere, tantumnon rem ſuperſtitionis alere videri qveant.

TH. LVII.

Nos ut in præſenti commemoratorum hactenus uſum nec prohibere, nec tantopere commendare audemus, unumqvemq; ſuo ſenſu & factâ Experientiâ abundare libentisſimè permittentes; ſic ad alia Rationibus & Experimentis magis corfirmata, interea confugimus; qvalia ex *cæteris* in Th. 50. *enumeratis*, varii generis ac formæ Medicamenta *tum ſimpliciora*, *tum* ex qvibusdam mixtis *Compoſita*, hinc inde ad Confortationem Virium commendari ſolent; qvorum nonnulla mox nominetenus recenſere juvabit.

TH. LVIII.

Ad *ſimpliciorum* Medicamentorum ordinem referenda veniunt 1. *primò* osſa atq; cornua animalium ſine igne (ſcilicet coqvendo illa in aqvâ, vel vapori aqvæ ebullien-

 tis

tis exponendo) Calcinata ac Præparata (cui similem, sed ferè aptiorem modum, eadem corpora sine igne & cocturâ humidâ vel vaporosâ calcinandi, communicationi supra laudati D. Præceptoris mei, D. Ausfeld debeo): Qvæ verò violenta ignis flamma fieri consvevit calcinatio, qvoniam per eam omnis virtus & efficacia, qvam tantopere desideramus expellitur, meritissimò rejicitur. 2. *Deinde* huc pertinent Magisteria v. c. Margaritarum, Coraliorum, Oculorum Cancri &c. Resolubilia, præcipuè cum Aceto Veneris parata; Fixa verò illa à non paucis ex hac serie, ob causas qvas *Dexterrimus Chymicus, Zwelferus*, in Animadversionibus retulit, removenda reputantur: 3. Deniq; Aqvæ, Tincturæ Essentiæ, Extracta, Conservæ & Sirupi, ex supra allegatis Herbis, Floribus, Radicibus atq; Lignis parata.

TH. LIX.

Ex prædictis Simplicioribus seqventes, aut his similes, *Mixturæ* præ aliis commodæ simul & gratæ componerentur; videlicet, *Emulsiones* ex Seminibus Aqvilegiæ & Frigidis qvatuor, supra nominatis sine Igne Calcinatis & Magisteriis Resolubilibus, cum Aqvis Rosarum, Lilii convallium aut Menthæ, sine vino destillatis, addito pro edulcoratione gratâ, saccharo Perlato & Essentiâ Citri siccâ: *Potiones & Julapia* ex aqvis Citri, Cerasorum nigrorum, lignivè Coryli; in qvibus resolvi possent, Gelatinæ Eboris, Ungulæ Alcis vel Cranii humani, Extractum item Scorzoneræ, addito, pro conditione Formulæ vel palati ægri, Sirupo papaveris Erratici, Tunicæ, Rubi Idæi, Stæchados; ac si acor magis gratus palato fuerit, addi possent Tincturæ Florum Pœoniæ, Violarum, aut Rosarum, sed ferè omissis Gelatinis. *Tincturæ*, ex floribus Cordialibus & Cephalicis, lignis item Santalorum aut Sassafras, cum Phlegmate Vitrioli paratæ, compositæ: qvarum exhibitio & usus aliqvoties de die commodè repetendus foret, immò ipsas in potu ordina-

tio-

rio, qvoties ægroto ſitim reſtringvere placuerit, offerre liceret; nec verò tam parca manu&doſi,ac vulgò fieri conſvevit, ſed ſingula Cochlearia ſingulis pauloq; largioribus cerevisiæ hauſtibus commiſcendo: *Esſentiæ*, ex Cordialibus pariter & Cephalicis compoſitæ,inter qvas ceu primariam allegamus illam Citri elegantisſimam *Exc. Dn. D. Außfeld*; in qvibus ſatis gratam ad efficaciam Magiſteria cordialia reſolvi posſent; Dicta etiam Citri Esſentia ſola loco Tincturarum pro confortatione in cereviſia pluribus in die rectè exhiberetur vicibus: *Electuaria & Conſervæ*,ex Conſervis & Extractis herbarum & florum Appropriatorum, Conditis Radicis Scorzoneræ, florum Arantiorum, Corticum Citri,Nucis Indicæ vel Juglandis,addito Sirupo Coraliorum &c. Si deniq; qvæ aliæ dantur Formulæ, illæ ex jam enumeratarum materia ſine negotio poterunt confieri.

TH. LX.

Appendicis loco hîc *Ambræ & Moſchi*,&,qvæ ex ipſis præparantur, *Esſentiarum ac Tincturarum* mentionem qvoq; facere debuimus; qvæ ut aliàs,nec immerito qvidem ſuo, inter primaria Confortantia referuntur, ita eadem noſtro ægroto non disſvademus, modo (niſi Idioſyncraſia asſumturi obſtet) mixta aliis tali obſervatâ temperaturâ exhibeantur, ne penetrantisſimâ ſuâ fragrantiâ cerebrum offendant magis, qvam vires reficiant.

TH. LXI.

Porrò ad Refectionem virium *Diæta* qvoq; pertinet,circa qvam ritè adminiſtrandam *Alimentorum & Qvalitas*, ut ſint boni ſucci facilisq; digeſtionis, & *Qvantitas*, qvam ex Affectus vehementia & Exacerbatione Hipp. Aph. 7. S. 1. definiendam docet; & *Conditura*, ubi Sal, Aromata & Acetum præparcè adhibenda; & tandem *tempus asſumendi*,meritò obſervanda veniunt.

TH. LXII.

Hactenus reſolutarum Virium Reſtaurationem vidi-

mus; nunc *earum* ab *Oppressione* Labefactatæ Naturæ qvibus mediis succurrendum sit, ut exponamus reliqvum est. Id ipsum, censemus, præstabitur qvàm commodissimè à *Chirurgiâ* Phlebotomon mox nobis offerente, qvo Venam alterutrius Brachii vel maximè conspicuam, qvam primum aperire conducet. *Qvam primum* dicimus Sangvinem esse mittendum; nempe Affectus Principium subinnuentes, ubi talismodi, insolentior licet, jactura Virium, Sangvinis missioni haut obstat: tunc enim ex pugnâ Natura nondum defatigata est; hâc unde ratione onere suo sublevata, illa facilius mox feliciusq; hostiles insultus declinare atq; excludere valebit.

TH. LXIII.

Visis hactenus Vitalibus Indicantibus earumq; Indicatis, presso nunc pede *Symptomatum Urgentium indicationes* nobis inseqvendum est. Istæ cum primariæ sint *Dolor* ipse, &, hujus veluti germana soboles, *Vigiliæ; ille*, qvidem sensum tristem demulcendum, *hæ* verò Somnum procurandum esse *Indicant*: atq; ut *utriusq; Symptomatis* vis cunctando noxiosissima redditur, sic ad *ipsorum* compescendam vehementiam, *Anodynorum* atq; *Hypnoticorum & Narcoticorum materia* suppetias ferre potest præsentissimas.

TH. LXIV.

Anodynorum nomine hîc loci comprehendere placet *non solum* illa, qvæ propriissimè sic dici consveverunt, atq; manente qvantumvis Causâ, *sive* dolorem lenire, *sive* jucundam svavemq; sensationem in tactu efficere, *sive* partem, ut minus dolori apta sit, laxare & emollire, sive etiam Occultâ vi dolorem edomare perhibentur; *sed &*, qvæ simul *vel* Resolvendo, *vel* refrigerando, *vel* alia virtute causam doloris possunt respicere.

TH. LXV.

Ex horum jam numero, præ cæteris ferè seqventia libet proponere: e.g. *Epithemata*, Fronti simul & Temporibus applicanda, parata ex Aqvis Angelicæ, aut folio-

rum

rum Persicorum, & Aceto Rosaceo, Sambucino aut florum Tunicæ; item ex saccharo Saturni & Aqvâ Betonicæ (addita aqva Hyoscyami) Croco tinctâ. *Ad eundem modum* imposita conducere hîc valebunt, Tinctura Santali rubri, sive simplex, sive Camphorata; *item* Sal Tartari vel Commune, in aqva Rosarum ac Verbenæ resolutum, sufficienterq; dilutum; *pariter* Emulsiones ex Nucleis Persicorum, semine Lini Anethi ac Psyllii, cum Aqvâ Sambuci extractæ: *Sic &* Cataplasmata ex nucleis Persicorum, Amygdalis ac seminibꝰ frigidis contusis, additâ farinâ hordei vel medulla panis albi cum lacte humano subactis; aut ex Cancris fluviatilibus cum aceto rosaceo contusis. Temporibus dehinc ferè solùm adhiberi solent, *Extracta* Verbenæ & Croci cum Succo inspissato Angelicæ (cujus sola folia Temporibus imposita bono cum levaminis successu aliqvando adhibuisse *Experientissimum Dn. D. Außfeld* novimus) in Cataplasmatis aut Linimenti formam redacta: *Emplastrum* ex Tacamahacâ, malaxatâ cum Oleo succini: *Irrorationes*, factæ Spiritu Lumbricorum aut Formicarum, *Ejusdem Laudatissimi Practici*, suo cum Sale volatili circulato penitissimeq; unito: *Innunctiones*, oleo Lumbricorum & Formicarum optimè rectificato ac Comphorato, Pingvedinis Lucii piscis, Chamomillæ, Liliorum alborum, Heracleino, Anethi, Angelicæ, Violarum; Aut etiam pingvedine Lucii piscis ac Medulla Cervi recẽti. Oblatâ hac occasione, liceat mentionẽ facere *Olei* illius, medicati solo intinctu alicujus Lapilli, cujus unicâ guttulâ capiti inunctâ, Butlerus, ex Hibernia homo, sedecennem intolerabilemq; Hemicraniã statim & pefectè curasse proditur; cujus tantum non miraculosæ curationis oculatum testimonium ex hibet *Helmontius in Butl. p.* 468. indigitatum autem *Lapillum* idem *Auctor* suo vocat idiomate *Drif*, ejusq; præparationem proponit *citato in Tractatu extremo p. 475.* Idem *Philosophus* Chamæleontem s. Carlinam & Persicariam, herbas,

solo attactu atrocissimos dolores tollere vel sublevare, *se* didicisse gloriatur *l. c. p. 473.*

TH. LXVI.

Aliàs peculiariter & Specificè Dolores Hemicraniæ tollere *Aëtius* (*referente Don. Ant. ab Altomar. d. Med. Hum. cap. malis c. 12.*) tanqvam mirifica deprædicat seqventia; *Euphorbium* videlicet, cum Aceto tritum & opposito dolentis partis tempori impositum; *Intestina terræ* (sive Lumbricos) trita & temporibus illita; *Cochlearum* carnem, vel earum cineres, cum stercore bovillo & thure in Aceto tritos; deniq; herbæ *Stœchados* decoctum, solum & maximum remedium ut omnis in capite doloris, ita Hemicraniæ etiam esse, idem *Auctor* Confirmat. Qvibus unicum adhuc annectimus, qvod intra corpus adsumtum, à proprietate qvoq; Capitis doloris mitigare creditum est, *tradente Celeberr. Schœdero in Pharmacop*, Os, inqvam, tali suilli ustum; cujus effectum, ut experiaris periculum facere licebit, si ita libuerit.

TH. LXVII.

Neq; tandem oblivioni hoc loco dandi *Globuli* ex *ossibus Manuum* vel *Costarum Sirenis* tornatiles, qvi Carpo adalligati, qvam diu geruntur, præsentis Averrunci instar, Hemicraniam dicuntur avertere, mox tamen, si deponantur, redituram: Hæc ita referente *Rarissimæ doctrinæ Viro Dn. Thomâ Bartholino in Rar. Hist. Anat. c. 2. H. 11.* Talismodi, (ut obiter hæc adjiciam) *Sirenis manum* in Amplissima Bohemorum Metropoli, Pragâ, in *Sacratissimæ Cæsareæ Majestatis* qvæ ibidem est, Arce, inter cœtera veluti rudera ac reliqvias illius olim instructissimi atq; incomparabilis totius Germaniæ, immò Europæ, Gazophylazii, sive rarissima *Naturæ* artificia, sive faberrima humanæ ingeniositatis omnis generis opera, sive preciosissimas opes, sive deniq; horum omnium copiosissimam spectasses vim, *asservatam*, sub anni hujus auspicia his oculis vi-

dere

dere manibusq; contrectare concessum fuit. Nec non, paucis dehinc intercedentibus diebus, in *Serenissimi Celsissimiq; Principis, Electoris Saxoniæ &c. Nutritii hujus Academiæ Clementissimi*, Augustissimo πολυτεχνοτάτων Conditorio (qvod in celebratissimâ Dresdæ, verô Electoratus Saxonici Oculo, *indulgentissimâ* DOMINI *benignitate* non rarò peregrè advenientium curiositati invisere permittitur) similis *Phocæ*, qvalis paulo ante meminimus, *Costa* gratissimo exemplo ostensa fuit.

TH. LXVIII.

Anodynis nunc subjicicimus. *Hypnotica* atq; *Narcotica*, qvorum in ordinem reducimus qvæ Vigiliarum incommoda possunt profligare; *sive* ea soporem, *sive* stuporem partibus inducere, *sive* sensum hebetare, *sive* peculiari qvalitate Spiritus torpidos&minus mobiles reddere, aut qvodammodo, figere existimes; cujus generis ut plurima undiq; à Practicis celebrantur medicamenta, tam Interna, qvam Externa; sic hoc loco pauca qvædam utriusq; generis, & qvantum fieri potest, qvæ præstantiora haberi usu venit, recensebimus.

TH. LXIX.

Utq; *Externa* præmittamus, solent huc referri Fel Leporis, Cerumen Asini, Linteola sangvine Asinino infecta (aqvâ aliqvâ destillata convenienti madefacta), singula temporibus applicanda; Cataplasma ex semine & foliis cerefolii contusis, aut decoctum Musci arborei, Fronti imposita; qvod posterius tamen qvodammodo suspectum videtur, ob ex cedentem in Musco adstringendi vim, qvâ alioqvin sanis etiam, capiti impositum, dolorem solet inducere; Similiter Extractum Vitrioli Narcotici fragrantiam, naribus exceptam, commendare tacitè videtur *Angel. Sal. Tr. 1. Anat. Vitr. c. 11.* His succedunt Hioscyamus, Nymphæa, Mandragora, Capita & Semen Papaveris erratici, Stramonium, Cynoglossum, Opium &c. ex qvibus Aqvæ, olea, Extracta, Emulsiones, Ungventa

aut

aut Cataplaſmata parari ſolent, qvæ Fronti & Temporibus nonnunqvam & Carpis manuum aut Plantis Pedum pro varia intentione Medentis applicari posſunt. Qvibus, Coronidis loco Aures Leporinas addimus, qvas pulvinari ſuppoſitas, ſomnum conciliare, nonnulli ſunt, qvi ſeriò affirmant.

TH. LXX.

Deinde *interno uſui* Hypnotica & Narcotica ſeqventia deſtinantur: Tinctura florum Papaveris Rheados, ſine Spiritu Vitrioli parata, comendante *Poterio*; ſemen Cerefolii; infuſum Linteolorum, Sangvine Aſinino pone aures educto, imbutorum; infuſum Cynosbati; liqvor Vermiculorum in iisdem Spongiis prognatorum, expresſus; nec non pulvis Dentis Eqvi Marini. His adde ſemen Papaveris, Hyoſcyami, (qvod non nemo Practicorum ad ℈ j tuto exhiberi posſe affirmat), Aqvam Hyoſcyami, Diacodia, Reqviem Nicolai, Pilulas de Cynogloſſo, Opium, imprimis per Sulfurationem correctum; Laudanum Opiatum, ejusve Extractum, cum Succo Citri aut Aceto deſtillato paratum; Extractum Opii Compoſitum, Aceto Veneris Sulfureo factum, & exinde præparatam Tincturam, *Exc. Dn. D. Auſſfeld*, utpote qvibus, ſi qvæ alia ex Opio præparata asſumtu tuta ſunt, feliciter uti posſis. Aliàs Extractum Vitrioli Narcoticum, Opiô potentiâ non cedens, citra tamen omnem periculi metum asſumturis commendat *Angel. Sala l. c.* Pariter *Helmontius* ſuum ſulfur Vitrioli Embryonatum, Narcoticum, ſvave, Sacharinum ſine odore vapore & furore Opii, Arcanum deniq; ad vitam longam, *in Jure Duumvir. §. 40. 1. in Duum. §. 9. & alibi* pluribus in locis, miris deprædicat encomiis.

TH. LXXI.

Circa applicationem & Uſum hactenus enumeratorum Medicamentorum notare operæ pretium ducimus I. Externa *tàm* Anodyna *qvàm* Narcotica, formæ inprimis li-

qvidæ

qvidæ aut humidæ *tepida applicanda esse*, ut ne actuali sua frigiditate & Repellendo præsentium exacerbetur ferocia Symptomatum, nevè alia graviora accersantur: II. Circa *Narcoticorum internorum exhibitionem*, ob vehementiam qvâ non pauca eorum pollent in agendo, utiq; sedulâ circumspectione opus esse, ne Medicus temeritatis culpæ reus factus, Naturam, per ipsas suppetias debellatam, oppressisse videatur: unde Opiatorum usum summoperè ingruentis aut jam sævientis Paroxysmi tempore reformidamus, ne Natura à susceptâ pugnâ sic revocetur, aut veriùs ipsi, devinctis qvasi manibus, arma excutiantur. at horis aliqvot à superato Paroxysmo *talium* exhibitione Naturam, qvoad fieri potest, blandè sopire ad novarum recollectionem virium, utiq; conveniens futurum videtur: Idq; tantò commodius præstabitur, existimamus, si indigitatis Narcoticis ex supra allegatis Confortantibus qvædam, præcipuè ex Præparatis aut Magisteriis, qvoad qvidem conditio formulæ permiserit, admisceantur. Eodem fine non sine egregii spe commodi Potiuncula, unius Cochlearis qvantitatem vix superatura, ex extracto Opii & Magisterio qvodam resolubili in Essentia Citri (*suprà sæpiùs Laudati Dn. Præceptoris mei D. Außfeld*) resolutis exhiberi possit. Cujusmodi & alias formulas plures ex iis qvæ hactenus recensuimus, componere, cum in proclivi fore existimemus, in his porrò non morabimur sed ad alia potius nos convertemus.

TH. LXXIV.

In ordine Indicationum supra nobis proposito, *Præservatoria Auxilia* nnnc eruenda veniunt, nimirum ut causæ anteqvam altas egerint radices, qvam primum evellantur. Pro qvo feliciter obtinendo fine, Conditorium Pharmaceuticum diversimoda nobis exhibet Medicamenta, qvorum singulorum materiam dispicere operæ pretium futurum est.

TH. LXXV.

Præ cæteris *Purgantia* se sistunt; *qvorum usum* & in nostrâ Hemicrania *convenire*, *tum* alvi Segnities & Obstructio indicat, *tum* Præcautio etiam Obstructionis reqvirit, ne scilicet excrementa in intestinis nimium cumulentur, & hinc, massâ sangvinis magis inqvinatâ, doiorum qvoq; materia incrementa sumat.

TH. LXXVI.

Istorum verò, de qvibus agimus, Purgantium, materiam prolixè hic pertractare fere supervacaneam operam existimamus, veriti ut ipsâ commemoratione Lectori B. nauseabundi fiamus; qvare brevibus saltim monemus observandum meritissimo esse *delectum eorum*, qvæ vel maximè Relaxante saltim Subductione, minimè verò turbulentâ commotione, alvi exonerationem promovent; qvali ab effectu præcipuè eqvidem laudarem *Pilulas* ex Aloë rosatâ vel violatâ, & Extracto aqvoso Jalapu vel Turpethi, qvibus, si placet, addere possis Extractum Verbenæ aut Angelicæ &c: *Vel*, si æger paulo fortiori medicamini ferendo sit, eidem massæ Pilularum admiscere licebit, Magisterium Scammonei aut Gummi de Peru, vel Trochiscorum Alhandali granum unum, vel etiam massam Pilularum de Succino Cratonis, de Ammoniaco Qvercetani, aut Zwelferi Antihypochondriacam. Sic *Boli* poterunt efformari ex pulpa Cassiæ recenti, Extracto Sennæ, Jalapu Aqvoso, solo, aut etiam cum Resinoso mixto, Panchymagogo *Zwelferi*, additis pulvere radicis Jalapu, Magisterio Scammonii, aut Scammonio Sulfurato, item Trochiscis de Violis solutivis, atq; si placet, fl. Salis Ammoniac. vel Sale Verbenæ, cum Sirupo rosarum solutivo, aut Cichor. cum Rhabarb. &c. Vel ex solis Pulveribus modo denominatis, omissis Extractis, cum Conservâ aliqvâ v.c. Rosarum, Majoranæ &c. Si *Potiunculas* qvis desideret, possent ex componi ex iis qvæ modo enumeravimꝰ, qvæq; resolvi

se

ſe & liqvoribus convenienter permiſcere patiuntur, omisſis tamen valdè amaris: talis concinnè fieret, *v.c.* ex Extractis Jalapu vel Turpethi Aqvoſis (ſive ſolis, ſive cum Reſinoſis iterum permixtis), Panchymagogo pro Potionibus *Zwelferi*, Sennæ; nec non Magiſterio Gummi gottæ &c reſolutis l. a. in Aqvâ Roſarum, Betonicæ, Verbenæ, aut etiam Liliiconvallii, Sale Tartari Esſentiali acuatâ, ac deniq; admixtis pro edulcoratione gratâ Sirupis, Violarum Solutivo, Pœoniæ, Tunicæ, Borraginis &c. Aut ſi *Infuſum* exibere mavelis, talibus ferè ingredientibus uti posſis, ut fiat, v.g. ex Fol. ſennæ, radicibus Ellebori nigri, Eſulæ correctis, Agarico Trochiſcato, Rhabarbaro, Mannâ, aut ſimilibus, conciſis, addito Sale Gemmæ vel Cremore Tartari, ad facilitandam Extractionem, qvæ affusâ ſ. q. ferventis cujusdem aqvæ, ex modo nominatis, inſtituatur: Liqvor vero ſufficienter imprægnatus &, factâ inſuper (ſiqvidem ſic è re fore viſum fuerit) expresſione ſpecierum, percolatus, ad asſumturi palatum aromatiſetur parum & edulcoretur. Deniq; *Pulverum* talis materia poteſt conſtitui, ut præparentur e. c., ex Magiſteriis Gummi Gottæ, Jalapu, Scammonii; Scammonio roſato aut Sulfurato, pulvere radicis Jalapu, cum Cremore Tartari, Tartaro Vitriolato, aut terrâ foliatâ Tartari, additis ad gratiam Saporis unâ vel alterâ guttulâ Olei deſtillati, vel Elæoſacchari granis duobus aut tribus.

TH. LXXVII.

Qvâ *Compoſitionem & Uſum* hactenus enumeratorum Purgantium qvædam adhuc annotare libet; & I. qvidem, qvod, juxta Qvosdam noſtri temporis Medicos, *Corrigentia*, Aromata inqvam, & qvæ hujus generis ſunt, itemq; *Specifica Dirigentia, inconvenienter* & ferè *fruſtra* Compoſitiones Pharmacorum ingrediantur. Qvam ipſorum Mentem pace B. Lectoris paucis hîc exponere liceat.

TH. LXXVIII.

Corrigentia itaq; qvorum facta jam mentio eſt *Inconvenienter* Purgantibus admiſceri dicuntur, *tum* qvod molem & qvantitatem medicaminis citra neceſſitatem non raro adaugeant; *tum* qvod nauſeam ſœpè in ventriculo, à Medicamento inibi fermentante, excitatam, & diutins foveant, & fortius, palato redditam, imprimant; dum nempe odorata iſta, ob continuam ſubtiliorum partium exhalationẽ, nauſeabundas illas Pharmaci tanto promtiùs & copioſiùs ſecum elevant: *tum* qvod, ut qvidam per plures à ſumto Purgante Menſes, immo annos, admiſta Aromâta & odorata alia, una cum cibis, qvi illis cõdiri ſolent, omnimodè abhorreant, ſœpius contingere experientia teſtetur.

TH. LXXIX.

Fruſtraneam etiam eorundem *Corrigentium* eſſe admiſtionem, exinde clarere conjectura eſt; 1. qvod Pharmacorum vehementia per Aromata verè corrigi neqveat. Purgantia enim cum pleraq; pro exceſſivè Calidis habeantur (v.c. Turpethum, Colocinthis, Scammonium, Euphorbium, Elleborus niger &c.), ipſa per æqve, niſi magis Calida (qvalia ſunt Cinamomum, Galanga, Zinziber, Piper &c.) ita corrigi poſſe, qvo minùs, ob dictum Caloris exceſſum Ventriculo noceant, qvàm ſi Purgantia ſola fuiſſent exhibita, veriſimile non videtur.

LXXX.

II. Neqve deinde probabile eſt dicta ratione *Pharmaci Flatulentiam* ita *reſtingvi*, ut hinc prognata tormina inhiberi poſſe exiſtimandum ſit; tantum abeſt ut eum uſum hîc præſtent *Aromata*, qvin potius *flatus*, & hinc *tormina* vel excitent, vel à fermentante Pharmaco flatus jam excitatos impetuoſius commoveant. neq; tamen proinde *Correctio* omnis Pharmacorum ſpernitur, immo verò ſœpiùs neceſſaria eſſe cenſetur; *rectiùs* ſaltim illam ante exhibitionem, qvàm in ipsâ, atq;

commo-

commodiùs per alia, v.c. fumum Sulfuris, Acetum, oleum vitrioli, aut Spiritum vini (qvemadmodum Scammonium, Gummi gottæ, Efulã, Elaterium &c. præparari consvetum est); qvam per admixtionem Aromatum, & qvæ hujus generis sunt, fieri posse asseritur.

TH. LXXXI.

III. Porro qvoq; *Ventriculum Robore*, sive *ab Aromatibus* sive ab *Adstringentibus* (v.c. Mastiche, succo Cydoniorum vel mali Punici &c.) communicato opus habere diffiditur. Cum enim nonnullam contrarietatem inter se alere videantur *Purgatio*, &, imprimis si cum Adstrictione fiat, *Corroboratio*, utraq; actio eodem tempore fieri vix poterit, qvin potius una ab alterâ impedietur; nam *si* accidat, ut Pharmaci virtus prævaleat, istorum Confortantium materia indubiè qvam primum cum aliis citra effectum è corpore relegabitur; *si* verò admixta Corroborantia prius suam vim exserere possint, qva de causa Purgatio instituta sit haud apparet; qvia hæc, nisi omnimodè sic inhibebitur, certè Naturæ Perturbationem (non sine graviore aliqvâ noxâ, aut molestissimis torminibus) potiùs concitabit, qvàm cum εὐφορίᾳ ægri recrementorum propulsionem emolietur. Ut hinc illi, qvi dicta ratione expurgare conantur intestina, similes videri qveant, qvi moderantes eqvo, utroq; injecto calcare qvadrupedem ad cursum incitant, sed una opera ipsum freno retracto coërcent. Magis eapropter consultum atq; è re ægroti fore, verò consentaneũ est, si Purgantia sola in convenienti & tanto minori dosi exhibeantur; peracto autem suo officio, pro recreando rursus ventriculo, Confortantia adhibeantur v.c. Vinum Cydoniorum Granatorumvé, aut commune Generosius, modicè inprimis calefactum & aromatisatum, cum pane tosto; vel Elixir aliqvod aromaticum Cydoniatum &c.

TH. LXXXII.

Deinde Specifica Dirigentia qvod concernit, ea ut Pur-

gantibus addantur simpliciter necessarium, convenieus aut utile esse, pariter inficias itur. Enimverò ne, qvod modò prolatum fuit, prolixè hic repetatur, qvàm per *ipsa* qvoq; Pharmacorum molem augeri, adeoq; eorum assumtionem hinc valdè ingratam reddi, deprehendatur, hoc saltim insuper accedit exactiore rationis trutinâ expendendum, qvod possibile non existimetur esse, ut admissâ nempe Sangvinis Circulatione, beneficio Dirigentium vis Purgatrix (v. c. in Hemicrania) ad Capitis magis, qvàm ad aliarum corporis partium expurgationem determinetur.

TH. LXXXIII.

II. Circa Purgantium *Usum*, Temporis, qvo *ea* exhibere inprimis conveniat, non negligenda descriptio. itaq; existimamus Pharmacum commodissimè exhiberi posse horis præter propter qvatuor ante Invasionem Paroxysmi. Nam cum Hemicrania singulis diebus redire soleat, non datur tempus aliud qvo collectæ vires melius constent, & medicamentum faciliùs tolerari qveat, qvam tunc, qvando datis induciis, à pugnâ cum causâ morbificâ Natura aliqvandiu cessavit; qvare hæc ipsa occasio præripienda est Medico, ad stimulandam Naturam, ut qvisqvilias Intestinorum, & reliqvam extra hæc hærententem colluviem excrementitiam ejiciat, ut sic commeatus omnis intercipiatur, qvo aliàs Sangvis in Exacerbatione turbatus, sive impurâ materiâ, sive exhalatione tetrâ communicatâ, magis inqvinari poterat. Adde, qvod tunc Sangvinis partes heterogeneæ sive vitiosæ Sponte sua agitari atq; turbari paulatim incipientes, tanto promtiùs à Naturâ aliorsum averti atq; sic statim excludi possint. Cæterum num Matutino, an vero Vespertino potiùs tempore Purgantia, & speciatim Pilulæ, in Hemicraniâ exhiberi debeant? Judicio & Intentioni Prudentis Medici determinandum meritò relinqvitur, qvi qvid fa-

cto hac in re opus fuerit, ex viribus ægroti, magnitudine & vehementiâ Affectus, item Paroxyſmi acceſſu & duratione, optimè dignoſcere noverit.

TH. LXXXIV.

QVod ſi etiam contingat, ut indigitatarum circumſtantiarum una vel plures obſtent, qvô minus Purgans per os exhibere liceat, Clyſtere uti juvabit; cujus applicatio tamen etiam extra talem caſum ſuo fructu atq; emolumento nunqvam carebit. Materiam autem Clyſmatis qvod concernit, poſſent ejus Compoſitionem (ſiqvidem laxanda ſaltim alvus ſit) ingredi ſpecies Emoll. & Carminant. radd. Aperientes majores vel minores, additis, ſi libuerit, herb. appropr. qvibusdam; qvorum in decocto, reſolvi poſſit Manna vel El. Lenitiv., addito oleo Lilior. albor., aut nucl. perſic., item vitello ovi. qvod ſi verô Purgare & Revellere ſimul intendas, ex his aut ſimilibus ſpeciebus Clyſma præſcribi poterit, v. c. ex Herb. Rutæ. Origan., Centaur. min., Abſinth., Fol. Senn., rad. Elleb. nigr., Rhabar. monachor., pulpâ Colocynth., aut Agarico, vel Sem. Carthami, Sem. Aniſ., Carv., Rutæ: in qvorũ decocto reſolvi poterit Caſſ. pro Clyſter., Maſſ. Pilul. Aloephang. vel Coch. vel d. Succin. Crat., El. d. Hier. Picr., aut fel. Tauri Inſpiſſ., item Nitrum fixum Antimoniatum, aut Sal Tartari.

TH. LXXXV.

Purgato ſic corpore, Caput qvoq; evacuari poterit, per *Errhina*; nempe paulo mitiora illa & ſine ſternutationis proritatione materiæ excrementitiæ profluvium ex Capite per Nares, egregio ſœpe cum levamento, derivantia. Qvorum ut plura communiter celebrantur, ſic eorum omnium inſtar eſſe poterit, qvod unicum nunc allegare placet, *Sal* inqvam *volatile*, ſive *Spiritum volatilem Ammoniaci*; utpote qvæ præfatum effectum cum evidenti remiſſione dolorum in Hemicraniâ, qvemadmodum & in aliis Capitis doloribus, præſtaſſe, vel ipſi oculatum teſtimonium

monium perhibere possemus. Excipitur autem dicti Salis vel Spiritus penetrantissima exhalatio Naribus, per vices & qvoties visum fuerit, ab eo, qvo Paroxysmus suum accessum minatur, tempore, donec rursum remiserit.

TH. LXXXVI.

Præter hactenus enumerata auxilia præservatoria Promtuarium Pharmaceuticum *Diaphoretica* & *Sudorifera* nunc suppeditat; qvæ in nostra Hemicraniâ etiam ex usu fore, hinc conjicimus, qvod *non solum Excrementa Sangvinis in Capite* collecta, atq; Copiâ suâ pariter ut Qvalitate eidem molesta existunt, aut etiam qvæ in ipso Paroxysmo à Naturâ sufficienter discuti non potuerunt, verùm tanqvam minera ac seminium novorum dolorum ibidem latitant, *Alterationem & Expulsionem reqvirunt* : *Sed* qvia heterogenea etiam qvæ in Sangvinis massâ adhuc hærent, & suo tempore in Caput delata Dolorem fovere, immò & augere possunt, sui *Segregationem Aversionem & Exclusionem* postulant.

TH. LXXXVII.

Materia modo dictorum *Diaphoreticorum* magnam partem è classe Confortantium Th. 53. adductorum, revocari potest; itaq; spectant huc Lapides, ab Animalibus desumta, atq; præ cæteris Plantis, Ligna: nec non Composita qvædam in *Th. 60* indigitata, qvalia præcipua sunt Præparata, Magisteria, Emulsiones, Potiones &c.; qvæ singula ut nominetenus hîc denuò recensere nolumus, ne Crambem fastidiosi recoqvamus; sic illis unicè *Essentias* ex Lignis Santali, Sassafras, Coryli, & Radicibus Chinæ ac Sarsaparillæ, nec non è Succino paratas, ut & *Oleum* Heracleinum, illud à Rulando Patre tantopere celebratum, superaddimus; reliqva qvæ ad institutum nostrum facere possint, in seqventibus Th. mox exhibituri.

TH. LXXXVIII.

Itaq; ad præmissa accedunt *Salia Volatilia*, utpote qvæ

magnam

magnam propterea laudem merentur, qvod summâ, qvâ pollent, penetrandi vi operationes suas celeriter simul ac strenuè perficiunt: *Talia* sunt Sal Viperarum, Cornu Cervi, Sangvinis Cervi, Eboris, Cranii humani, Lumbricorum, Formicarum, vel deniq; Urinæ, sive ex ipsa Urina, sive ex Ammoniaco paratum; qvæ vel sola, vel mixta cum aliis & in forma Pulveris, Boli, Pilularum aut Emulsionis exhibere poterunt. Eodem nomine, qvo modo dicta Salia, hîc etiam *Tincturæ* Essentificatæ, Cornu Cervi, Viperarum ac Lumbricorum *Experientissimi Chymici*, qvem iterum honoris ac observantiæ causâ nomino *Dn. D. Außfeld* dignis laudibus commendandæ veniunt.

TH. LXXXIX.

Succedunt Volatilibus *Salia Fixa*, sive *Alcalia*, videlicet Hyperici, Absinthii, Melissæ, Verbenæ &c. qvæ tamen ob Saporem lixivialem à delicatioribus inprimis, ægerrimè sumi solent, unde ea ipsa per Spiritum salis aut Nitri crystallisata, minori cum fastidio exhiberi poterunt.

TH. XC.

Præter adducta, huic ordini inserenda qvoq; *Mineralia* qvædam se sistunt, *Cinnabaris* nempe Nativa, Antimonii, item illa Helmontii (de qvâ ejusq; Tinctura & utriusq; usu consule Tract. in Verb. Herb. & Lap. p. 460), nec non communis Factitia, qvæ singulæ intra corpus tutò assumi possunt. Item huc refer Antimonialia qvædam v.c. Diaphoreticum simplex, Martiale aut Lunare, atq; horum Flores, sive Magisteria; Bezoardicum Minerale simplex atq; composita, præprimis Lunare, qvippe qvod præ cæteris Specificam ad Caput directionem habere creditur. His addimus Magisterium Sulfuris mineralis fixum atq; Bezoardicum, Sulfura Lapidum pretiosorum, inprimis vero Essentiam florum Sulfuris intensissimè rubentem, omnisq; graveolentiæ, cæteris ex Sulfure præparatis qvasi propriæ, expertem; Singula paulo ante allegati *Laudatissimi Chymiatri Dn. D. Außfeld.*

TH. XCI.

Priusqvam tamen hinc omnino recedamus, pauca & veluti in transitu, adhuc annotare juvabit. *I. Salia volatilia Cornu & Sangvinis Cervini esse specie eadem*; nec referre qvicqvam, utrum ex sangvine, an vero ex Carne aut visceribus aus ossibus sint præparata.

TH. XCII.

II. *Cinnabarim Nativam* potius *inter Diaphoreticas*, qvàm Specifica sive confortantia Cephalica, referre placuit, licet hinc inde *summi illius Medici, Cratonis*, celebretur auctoritas, *qvi* ipsam Secretum Vertiginis ac Epilepsiæ vocasse fertur; unde concludunt Cinnabarim qvoq; peculiari vi Caput confortare: qvo tamen loco in scriptis *suis* istud encomium exstet incertum est. Nos ut vel hac solùm de causâ *Incomparabilis Viri Consilia & Epistolas* pervolvimus, qvatuor qvidem in locis Cinnabaris mentionem fieri deprehendimus, sed qvæ manifestè sibi contradicere videntur, ut proinde Lectorem satis ambiguum, qvid de confortante hujus mineralis vi judicandum sit, rursus dimittant. *Epistola 137. (Editionis Scholtzianæ)* tale proferens judicium, disertè scribit: *De vi Magneticâ adversus Epilepsiam, in Nativâ Cinnabari, qvam Minium qvidam appellant, valdè dubito.* Deinde *Epist. 168. Ante paucos*, inqvit, *dies puero cuidam, pulverem ex Cinnabari viva confectum (Thessalus) dedit. Non velim hoc facere, si omnes homines mihi autores essent, cum robusta etiam corpora usum illius vix ferant.* Ab hac verò sententiâ videtur declinasse *Ep. 181.* ubi, *Exhiberem*, scribit, *usitatos pulveres, qvi dantur Epilepticis, atq; periculum etiam facerem pulveris cum Cinnabari nativa facti. Si qvid hæc remedia prodessent, ad alia deinceps pervenirem.* Deniq; plenum ambiguitatis judicium est (siqvidem fideliter typis exscriptum est) qvod *Consilio 42. p. 121.* Epileptico cuidam communicato legitur: *Medicamentum*, inqvit, *de Cinnabari non præscribo, cum Fernelius in libello suo de Lue venereâ, tam dira symptomata ejus usum consecuta referat. Mihi ne qvid dissimulē, non persvadet, cum bono cum successu me eo usum esse Viennæ verè affirmare*

posim

possim. Stercus pavonis ex destillato cardui vel millefolii magis probo. Sed hanc litem amplius nostrã facere instituti ratio non permittit. Hoc saltim prætermittere nolumꝰ, nos *Cinnabari Nativæ* præ Factitiis, *utpote* his multò *fixiori*, palmam tribuere, præcipuè vero Hungaricæ illi, tanqvã purissimæ. Cum tamen & ipsa qvandoq; aliqvid intestinæ ac terrestris impuritatis contineat, ob qvam si usum ipsius reformides, possis *mineram* pulverisatam aqva pura abluere, vel, qvod omnino melius, per Sublimationem *eandem* rectificare & depurare. Talia Cinnabaris Nativæ elegantissima frusta, sublimatione depurata, nec non Cinnabaris illius Helmontianæ particulas plures, rubore summè exaltato atq; gratissimo nitentes, *ab Excell. Dn. D. Außfeld* dexterrimè paratas, in Ipsius Myrothecio Chymico videre contigit. Præterea, qvando *Cinnabaris factitiæ communis* mentionem facimꝰ, in Myropoliis emtu communiter prostantem, atq; Pictorum scribarumq; usui inservientẽ neutiqvã intellectam volumus, sed, qvæ ex Sulfure purissimo, sive floribus, justâ proportione Mercurio vivo, pariter depurato, com-mixtis, â dexteriore artifice præparata, perq; plurimas Sublimationes summè rectificata est, illam interno usui in Medicina destinare posse, affirmamus.

TH. XCIII.

III. Qvando Diaphoreticorum *Antimonialium* supra meminimꝰ, adjiciendum hîc reputamus, qvod consveta in illorum exhibitione meticulositas excutienda sit, cum non granis, sed Scrupulis eorum doses ponderare, immò ad integram Drachmam ipsa exhibere liceat, modo de præparatione ritè factâ certi simus. Neq; silentio prætereundum, Diaphoreticum Antimonii & Bezoardicum Minerale simplex, ne latum ungvem, qvâ virtutem operationis suæ, â se discedere, immò vero ipsissima eadem esse medicamenta, nisi qvod *hujus* præparatio multò sit operosior & sumtuosior, *illius* vero Simplicior atq; facilior. Ut hinc falli videatur, si qvis dicta utraq; Antimonialia, tanqvam diversa, eidem compositioni, permiscenda præscriberet.

TH. XCIV.

IV. Deniq; *Flores sive Magisterium Antimonii Diaphoretici* nos ordini Sudoriferorum inseruisse recordamur haut nescii, à Qvibusdam illud tanqvam inutilem in Medicina materiam rejici; Veruntamen causam dicti Medicamenti acturi, illud certè æqvè, nisi magis, ac Diaphoreticum ipsum, utile esse judicamus. Nam cum apud omnes in confesso sit, illum pulverem, qvi in edulcoratione ob levitatem facillimè suprema petit, & in aqva supernatat Legitimum esse Diaphoreticum; ponderosiores autem econtra partes, instar arenæ, ad fundum statim desidentes, rejiciendas, certè novæ detonationi reservandas esse: Cur Magisterium, illo pulvere Diaphoretico multò levius ac subtiliùs, qvippe qvæ à lixivio Nitri resolutū, filtrum penetrare potuit, nomine & usu legitimi Diaphoretici sit privandum, nobis qvidem tam oculatis esse non licet. Neq; ullius porrò ponderis est accusatio, qvando hoc ipsum Magisterium, à contrarietate Præcipitantium Salium ortum ducere dicitur; qvoniam prolata censura infirmâ nec demonstrabili nititur experientiâ, siqvidem Calciformem ejusmodi pulverem ex Solo lixivio Nitri & Aceto (liqvoribus his inter se confusis), aliàs nunqvam præcipitari deprehendere licet. Magis itaq; à nostra parte stabit Experientia, atq; Magisterium, de qvo nunc agimus, germanam Antimonii prolem testabitur, qvando legitimum in Antimonii Vitrum, immò in ipsum Regulum, nos reducturos spondere possumus.

TH. XCV.

V. Qvod restat, *Tempus* qvoq;, qvo Medicamenta in Thes. 68 & seqq. enumerata, exhiberi debeant, determinandum est. Itaq; è re fore existimamus, si ipsa ante Paroxysmum horis tribus aut ad minimum duabus exhiberentur; assumto verò medicamine æger ad proliciendum sudorem se componeret, ut sic in herba, qvod dicitur, imminentis Paroxysmi Causa, qvoad fieri potest, supprimatur ac discutiatur, nec non commea-

meatus vitiosus à parte affectâ divertatur, adeoq; Paroxysmi sævitia mitigetur. Deinde etiam horis aliqvot à superato Paroxysmo hujus generis Medicamenta exhibere licebit, inprimis ea, qvibus simul confortandi vis communiter adscribitur; ut hac ratione reliqviæ etiam præcedentis Paroxysmi exstingvantur, ubi tamen Naturam ad Sudorem minimè cogendam, sed potiùs ipsiùs arbitrio, (sive materiam relictam insensibiliter sit discussura, sive per urinam evacuatura) rem omnem committendam esse censemus.

TH. XCVI.

Postremo loco Pharmacia in mentem nobis revocat *Pediluvia*, qvæ discussionis & Revulsionis causa institui, atq; ob insignem Pedum cum Capite Consensum, valdopere commendari solent. Qvalia ex his aut similibus confieri poterunt; e.c. ex Herb. Verben. Angel., Stoechad., Chamæpyth. Majoran., Rorism., Rut., Centaur. Min.; Radic. Verben., & Angelic., Summit. Aneth., Fl. Rosar. Rubr. Chamom. rom., Verbasc., Melilot., Sambuc., Semin. Anis., Carv., Fœnicul., Cumin., &c. (qvibus qvi simul somni inducendi intentionem præ se ferunt, addere non raro solent, Fol. Hyoscyam., Tabac., Solan., Cort. Mandrag., Cap. Papav., aut ipsum Opiũ &c); Species hæ incisæ decoqvuntur in aqvâ fontanâ, acuatâ Sale Communi, Tartari aut alio Alcali. Eidem Decocto Manus etiam immergendas esse, ut plurimùm præcipitur.

TH. XCVII.

Chirurgiæ denium Armamentarium, varia qvoq; ad edomandas & removendas Hemicraniæ Causas, instrumenta exhibet, qvibus diversimodæ administrationes perficiendæ à Practicis passim celebrantur. Nos vero hoc loco ea saltim Præsidia Chirurgica in medium prolaturi sumus, qvæ nostro ac delicatiori sub cœlo familiariùs adhibere licet. Inter hæc eminet *Venæ sectio*, qvæ pro varia intentione Medici vel Evacuationis, vel Revulsionis, vel Interceptionis vel Derivationis gratia institui potest; celebrariq; consvevit in Vena Frontis, sublingvali, Colli, Brachii, excurrente illa inter Pollicem & Indicem digitos, aut Saphæna.

TH. XCVIII.

Ne gratis hæc dixisse videamur, *Sangvinis missionem* inter præsentissima esse auxilia, præter Auctoritates & Observationes

Expertissimorum Medicorum, ipsius Naturæ conatus ac motus (qvem Rationalis Artifex semper seqvi debet) idem confirmat. *Naturam* enim non raro & in hoc Affectu Sangvinis evacuationē sua sponte instituere, Experientia qvotidiana testis est; idq; negotium illam sœpissimè *per Hæmorrhagiam* Narium moliri, planiùs est, qvam ut plurinm exemplorum allegatione opus sit. Ast, per *apertam in superiore labio venam* Naturæ instinctu copiosiùs Sangvinem profusum esse, qvodammodo insolentius qvid esse videtur. Hujus rei fidem tamen facit *Petrus Pacheqvus*, *obs. 37.*, *ubi sibi* qvindecim annos Hemicraniam perpesso, singulis deinceps mensibus per *superioris labii venam* IV. vel V. ℔. (nisi fortè errore typothetæ libræ notula pro Unciæ signo fuit reposita.) Sangvinis erupisse refert, cum levamento qvidem, non tamen omnimodâ doloris cessatione, donec tandem istius profluvii simul & dolorum molestiam, venâ in Brachio affecti Lateris singulis mensibus bis sectâ, planissimè sustulerit. Ut hinc colligere liceat, qvemadmodum Naturæ Conatus promto Medici obseqvio adjuvandi sunt, sic eosdem aliqvando prudenti consilio anteverten-dos esse. Et adjuvare qvidem decet Spontaneos Naturæ motus, si excretionem imperfectè fieri contingat; at ubi perfecta facta fuerit judicatio, qviescere multò præstat, juxta judicium *Aph. 20. S. 1.*

TH. XCIX.

Circa *delectum Venæ* in Brachio, utrum videlicet Cephalica, an vero Basilica, Mediana, aut illa ad pollicem manus sit aperienda? curiosi haut erimus, sufficere existimantes, ut maximè ex his conspicua sectioni destinetur; cum nulla harum Venarum Sangvinem, qvem continet, à Capite proximè accipiat, sed ex Brachii aut manus Arteriis, qvæ ex trunco illius Adscendentis Magnæ prodeuntes, recto ductu in Brachium derivantur. Ceterum, *rectiusnè sangvis ex affecto, an vero opposito latere* Revulsionis gratia educatur? controverti solet. Nos, ut paucis mentem nostram explicem9, existimamus nihil referre in qvo latere fiat venæ sectio, cum Sangvis, uti diximus, evacuandus, non à Capite proximè, sed à Corde mittatur, unde Sangvis æqvaliter in utrumq; Brachium distribuitur; nec proinde, respectu ad motum Sangvinis habito, v.c. dextri Brachii Vena, à Sinistro Capitis latere magis remota sit, qvam Sinistri Brachii vena.

Th.

TH. C.

Qvantitas Sangvinis educendi adeo exactâ trutinâ determinari neqvit, sed periti Medici judicio ex ægri Temperamento, Ætate, Sexu, Consvetudine, Virium valore ac Magnitudine Affectus definienda relinqvitur. In genere tamen Evacuaturis largius Sangvinem mittere, qvam Revulsuris aut derivaturis licere, pronuntiare possumus; subinnuentes Derivationem aut Revulsionem, cæteris paribus, aliqvot vicibus administratam, eo magis ex usu futuram.

TH. CI.

Tempus mittendo Sangvini commodum, esse matutinum censetur; deinde ipsius Affectus aut etiam Exacerbationis initium: qvanqvam nec Practici vetent in ipso Hemicraniæ Paroxysmo qvandoq; venæ sectionem instituere, ut ex Observationibus colligere est.

TH. CII.

Arteriotomiam insuper qvod concernit, undiq; illam in Practicorum libris in Hemicraniâ præ venæsectione commendatam invenimus. Nec res nihili videtur esse, qvippe hâc ratione factâ interceptione Affluxûs, nonnullum doloris levamen conseqvi posse, probabile admodum est. Administrationem autem Arteriotomiæ his ferè absolvi conditionibus proditur: nempe, qvâ *Delectum*, in affecto latere, Arteriam Temporalem qvæ minima deprehendi potest, indagandam; qvâ *Locum*, incisionem ubi pulsus maximè debilis deprehenditur, faciendam; qvâ *Modum*, Arteriam omnino discindendam, ut partes qvasi pendulæ, utrinq; sub cutim retractæ coalescant; qvâ *Tempus*, incisioni initium vel etiam Augmentum Paroxysmi Idoneum; *qvâ Qvantitatem*, qvantum tolerantia ægri fert, aut qvandoq; sponte suâ effluit, tantum emittendum; *qvâ vulneris Consolidationem*, Deligationem ritè administrandam esse; qvam vide sis apud *River. ob. 65. & 89, C. 2.* Veruntamen hoc præsidium nisi in extremo necessitatis casu, & ubi Venæ Sectione nihil profeceris, non tentandam facilè, existimamus: Temeritatis enim nonnullius videtur esse per pericula, certè maximas molestias, ægroti salutem redimere, qvam tutioribus mediis æqvè facilè restituere possis. Adde qvod nostris præcipuè in regionibus hoc remedii genus minus consvetum sit, ut hinc vel solo prolato ejus nomine, ægroti

suspi-

ſuſpicaturi ſint, de vitâ protinus actum fore, ſi talismodi Adminiſtrationem admiſerint.

TH. CIII.

Aliâs Arteriotomiæ vicem *Hirudines* Temporibus aut Fronti admoveri poſſe, nonnulli ſunt qvi autument. Easdem *Sangviſugas* etiam Naribus immittunt, nempe ſic Naturæ motum non raro per Hæmorrhagiam ſe exonerantis, imitaturi; qvod ipſum tamen minimè tutum eſſe auxilium *B. Dn.* D. *Sennertus l. 1. Pr. P. 1. c. 8. Q. 3.* optimè monuit; Unde fortaſſe alii Sangvinis proflu-vium, immiſſâ in Nares *herbâ Millefolii*, contritâ, vel *radice Crocodilii*, ſeu Cardui Sphærocephali, excitare malunt. De uſu radicis hujus vide Lipſ. in Tract. de Variol. p. 41.

TH. CIV.

Cucurbitulæ porro *Scarificatæ* Sangvinis eductioni qvoq; inſerviunt, & Venæ Sectionis aliqvando locum obtinere poſſunt, inprimis apud eos qvi illarum uſui asſveverunt; aut etiam ex meticuloſitate qvadam imaginaria apertionem venæ recuſant admittere. Solent autem Cucurbitulæ hæ ut plurimum Revulſionis gratiâ primo remotioribus, deinde propioribus partibus, utpote, ab initio Lumbis, deinde Brachiis & Scapulis, deniq; Cervici applicari. Vid. Dn. D. Senn. l. c. Q. 4.

TH. CV.

Præterea *Veſicatoriorum* uſus qvoq; à non paucis commendatur, ſive *ea* cum dolore ſive citra dolorem veſicas excitent; Applicari autem ſolent ut plurimum *pone Aures* affecti Lateris, aut aliqvando *Vertici*, deraſis prius capillis. His accedunt *Setaceum*, *Cauteria* atq; *Trepanum*, qvæ ut rarius apud noſtros homines admitti conſveverunt, ita illorum nomina vel indicaſſe ſufficiat.

TH. CVI.

Tandem *Diæta* ſe ſiſtit, rectam & moderatam *Rerum non Naturalium*, Medicis ſic dictarum *adminiſtrationẽ* inſinuans: qvæ qvomodo ſit inſtituenda Prudentiâ Medici ex Juvantibus & lædentibus, aliisq; Circumſtantiis, ita præſcribere dignoverit, ut ambientia, Aſſumta, Excreta & Retenta, Motus, Geſtus, Converſatio, ipſeq; Animus ægrotum minus moleſtent turbentvé, ſed blando moderamine omnia ad qvietem & tranqvillitatem dirigantur.

SOLI DEO GLORIA.